



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decreta Edita In Synodo Dioecesana quinta Mediolanensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

63

# SYNODVS DIOECESANA MEDIOLANENSIS V.

Quam Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis  
Archiepiscopus habuit

Anno à Chr. Nat. M. D. LXXVIII.

Gregorio XIII. Pontifice.



**H**EC Synodus nõ semel atq; iterum, sed tertio progata fuit. Primum enim Archiepiscopus visitationis Brixienfis, quã sibi summus Põtifex commiserat, & delegauerat, munere, occupationibusq; distentus, illã de more indictã stata die habere nõ potuit. Dein de conciliũ provinciale, provincialẽsq; actiones impediunt, quo minus anno sequenti, qui fuit MDLXXVI. illa iterum prorogata celebraretur. Post, peccatis hominum ita exigentibus, cum pestifera contagio in urbem, & dioccesim Mediolanensem se se infuderit; necesse habuit Archiepiscopus, charitatis, curæque suæ pastoralis, quam pestis acerbitas summopere requirebat, officijs occupatus, eam tamdiu prorogare, & differre, quoad pestiferum incendium extingueretur. Itaque Dei munere dono que demum Anno MDLXXVIII. cum pestis omnino abierit; nihil ille antiquius potiusq; habuit, quã primò quoque tempore illam ritè celebrare. In qua synodo ita statuit, & sanciuit.

Indictio Synodi dioccesanæ in posterum facta est, non edictis, sed ratione veteri, quæ decreta, ac renouata in constitutionem superioris Synodi IIII. relata est.

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

**N**OS Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Praxedis, Dei Apostolicęq; sedis gratia Archiepiscopus S. Ecclesię Mediolanensis, ad Dei omnipotentis, Beatęq; Marię semper Virginis, & Sancti Ambrosij Patris Patronique nostri laudem, hæc pro Christianę morum disciplinæ conformatione, qua clerum populumq; fidei nostre concreditum præluere totis in Christo visceribus expetimus, in nostra synodo dioccesana quinta decernimus, ita tuimus, ac sancimus.

**D E C R E T A E D I T A**  
In Synodo Dioccesana quinta  
Mediolanensi.

Decretum I.

**B**EATISSIMI Martyris Sebastiani ciuis Mediolanensis, cuius dies natalis iã vsq; à temporibus sanctissimi Patris, & Patroni nostri Ambrosij, sermone etiam eius martyrium celebrantis, à nostris maioribus pie cultus est, diem festum anniuersarium, qui est xiiij. Calen. Februarij, ex voto ob funestã pestis, quę urbem dioccesimq; Mediolanensem anno 1576. terretimè inuaserat, contagionem religiosè nuncupato, in tabulaque publicas ciuitatis relato, ab vniuerso, & clero, & populo urbis Mediolani pie item sanctęq;

sancteq; coli atq; observari mandamus, vt reliquos Sanctorum festos solennel- que dies, qui ex precepto instituto que ecclesie coluntur.

Ex eadem preterea voti nuncupatione, pridie illius festi diei ieiunium ab eode clero populoq; Mediolanensi agi celebrative precipimus.

Idem etiam in diocesi a locorum scilicet incolis prestatetur; qui eidem beatissimo martyri, alijve sancto, proxime pe- stilentie temporibus eius rei votum fecerant.

Decretum II.

De diebus festis, & vigilijs euulgandis.

ut. de fest. di. cultu. 4. Vigilijs au. 16. pag. 16.

DIERV M festorum, qui in vrbe diocesi q; nostra Mediolanensi coli, & Vigiliarum item, que ieiunio abstinentiave obseruari debent, tabula, de qua in diocesana synodo per nos consocienda concilij prouincialis tertij decreto cautum est, hoc ordine prescripta in singulis mensibus, ab vnoquoque parocho animarumve curatore in illis populo denunciandis seruetur.

Tabella dierum festorum, & vigil. infra cum de tabellis suo loco posita est.

Decretum III.

De Dominica in capite Quadragesime.

DIVINO munere operarij nos in hac vinea colenda constituti, perpetuo constantiq; culture spiritualis studio in id incumbere debemus, vt sancto sum institutorum, sacrorumq; rituum disciplina, a beatissimo patre pastore que nostro, & Ecclesie Doctore Ambrosio salutariter, ac diuinitus introducta, non modo in hac Ambrosiana ecclesia pie sancteque conseruetur; sed etiam si que vlllo modo pretermissa est, qua debet religione, in vsum consuetudinemque re- stitatur.

Cum igitur in sanctissimis Ambrosianis institutis, vnum (preter cetera que cum vitio morumq; corruptelis, & negli, & violari magno cum animi dolore vidimus) illud sane sit, quod de Dominica, que in capite Quadragesime dicitur, alias tum literis nostris monuimus atque ediximus, tum edicto etiam sanciuimus; eo ipso de genere quo diligentius pro Archiepiscopalis officij munere cautum sit in perpetuum, hac vt in

fra decernimus, & constituimus; que plane a clero, & populo, qui Ambrosiana ecclesie nostrae institutis religiose adstrictus tenetur, sancte inuiolateq; seruari in virtute sancte obedientie precipimus, iubemus, ac mandamus.

Dominica, que in capite Quadragesime more Ambrosiano dicitur, vt reliquae Dominicae quadragesimales seruetur item: ab eaq; abstinentie quadragesimalis initium plane fiat; cum non solum ex sanctissimo patrum testimonio, sed ex sermonibus, & doctrina in primis eiusdem B. Ambrosij, priscisq; huius ecclesie tabulis, atq; ex omni rituum certissima ratione, illam in Quadragesime diebus primam Dominicam, & numerari, & esse liquidum constat.

Proinde a cibis, que quadragesimali tempore lege ieiunij vetiti sunt, abstineat clerus, & populus omnino eo die, sicut alijs dominicis quadragesime diebus.

Nuptiaru celebritas dominico illo die ne agatur itidem, vt sacrorum canonum iure, Tridentinaq; sanctione, ceteris quadragesimalibus diebus agi interdictum est.

Quaecunque apostolicis sanctionibus, sacrosanctis canonum decretis, conciliorum constitutionibus, de sancte quadragesime cultu, religioseq; obseruati, vel instituta, vel decreta sunt; eadem ad huius dominicae, que Quadragesime prima est, cultu pertinere decernimus: ita vt qui hunc diem violarit, culpae reus perinde sit, ac si alium quadragesime diem violasset.

Quo autem religiosus hac dominica prima quadragesimalis colatur, quo debet obseruantiae officio; Archidiaconi Metropolitanae nostrae ecclesie sit, in Epiphaniae solennitate, vt Paschae celebritatem denunciat; ita (quod etiam de quadragesime denunciatione antiquo canone institutum est) sic quadragesimalis abstinentiae initium denunciare, in ea ipsa Dominica scilicet omnino sancte fieri.

Parochi vero singuli, tum qui in vrbe sunt, tum dioecelani, hoc itidem praestent, ac denuncient in Dominica proxime praecedenti, que Dominica in quadragesima dicitur.

Scilicet. 24. decret. de refor. matr. cap. 10.

In Ca-

In Calendario demum anniuersario  
notetur hic dies quadragesimæ primus.

## Decretum. IIII.

BARBÆ radendæ institutum, à pa-  
tribus in Concilio Carthaginensi sanc-  
citum, quodq; ex summi Pontificis Gre-  
gorij VII. literis longè antiquissimum  
esse perspeximus, iam olim in omni fe-  
rè ecclesia, & in nostra hac Ambrosiana  
ad hæc vsq; tempora ( vt nos vidimus )  
à plerisq; sacerdotibus antiquæ sanctio-  
ris disciplinæ studiosis conseruatum, ac  
deinceps nostris literis per nos ad vsum  
consuetudinemq; reuocatum; ita in per-  
petuum retineri præcipimus ac manda-  
mus, vt vnusquisque sacerdos & cleri-  
cus, quocunq; gradu dignitateve præ-  
ditus barbam radat.

## Decretum. V.

AVXILIANTE Christo Domi-  
no iam quintam synodum diæcesanam  
hoc sacro loco celebrauimus: at vos con-  
scij estis, multa deesse, ad eorum que de-  
cretis & diæcesanis & prouincialibus  
præscripta sunt vobis, perfectam execu-  
tionem.

Qua in re vnuscuiusque Visitatoris no-  
stri, præfecti regionarij vrbis, atque sin-  
gulorum etiam dignitatem & canonica-  
tum in basilica nostra Metropolitana,  
in collegiatiue tum vrbis tum diæcesis  
nostræ Ecclesijs obtinentium, ac Vica-  
riorum foraneorum, & testium synoda-  
lium, & omnium denique ac singulorū,  
non modò sacerdotum sed clericorum  
etiam cuiusuis ordinis, quibus ecclesi-  
astica disciplina leges constitutæ sunt,  
studium, operam, diligentiam, sollicitu-  
dinem desideramus, atque requirimus.  
Proinde non solum monitiones, quas in  
synodo diæcesana quarta contestati vo-  
biscum adhibuimus; & quò diligentius  
studiosiusq; ad illarum vos præscriptum  
conformaretis, easdem imprimi man-  
dauimus; sed etiam quorundam decre-  
torum, quorum executionem diligenti  
studio quamprimum præstare debetis,  
tabellas aliquot ante mensibus editas,  
& vobis traditas, iterum vobis vniuer-  
sis & singulis in hoc diæcesano conuen-  
tu inculcari diligenter iussimus et man-

dauimus.

Vestrum igitur erit, cum tantopere per  
nos omni officij genere excitati sitis, ad  
absolutam quandam decretorum om-  
nium executionem, studiosè, accuratè,  
perpetuq; sollicitudine agere, curare,  
atque adeo perficere, vt vnuscuiusque  
vestrum diligentiam verè ecclesiasticà  
commendemus; nec verò accusamus aut  
damnemus negligentiam.

Aliquot selectorum decretorum execu-  
tio, præcipuo sollicitudinis stu-  
dio præstanda.

FENESTRÆ, vnde extrinsecus  
Missæ sacrum inspicere & audiri potest o-  
cto dierum spatio amoueantur, murove  
obstruantur.

Fenestræ item aliæ, vnde in ecclesiã  
introspicijatur.

Seruitutes ab omni ecclesia ad octo  
item dies amoueantur omnino; ita scili-  
cet, vt ab ædibus clericalibus per eam  
nulla exportatio, nulla importatio, nul-  
lum iter, nullus transitus fiat, nõ prospe-  
ctus, nec verò alia eiusmodi seruitus.

De ædificijs laicalibus ecclesiæ parie-  
tes attingentibus, præstetur, quod decre-  
tis prouincialibus constitutum est.

De officinis eidem coniunctis, præste-  
tur itidem vt mox supra.

De luto, illiue, sordibus disijciendis  
& amouendis, præstetur & agatur ex de-  
creto concilij prouincialis in. & ex præ-  
scripto instructionum nostrarum.

A locis sordidis cruces, & sacræ ima-  
gines, quindecim dierum spatio amo-  
ueantur.

Altaria cappellæ maiori aduersa, aut  
sub ambone, suggestore, aut ad pilas,  
columnasve enlocata, octo dierum spa-  
tio amoueantur, ex præscripto visitatio-  
nis apostolicæ.

Altaria item in lateribus cappellarū  
posita, ad tres menses amoueantur; in ea-  
rumq; medio exstruantur.

Sepulcra lapidea ex ecclesiæ cœmite-  
rijve pavimento indecenter eminentia,  
octo dierum spatio tollantur.

Sepulcra itidè operimētū visitationis  
apostolicæ decreto præscriptū non habē-  
tia, ad quindecim dies humo oppleantur,

De barba  
radenda.  
Carthag.  
4. can. 44.

De promul-  
gatione ali-  
quot decre-  
torum.